Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3247
Quelle:
Copyright:

rum Priores IV. Historici; *Primus* enim Concilia usque ad *Nicenum* I. *Secundus* usque ad *Nicenum* II. *Tertius* usque ad *Romanum* IV. *Quartus* usque ad *Ferrariense* sub ipso *Eugenio* IV. percurrit. Liber *Quintus de Summi Pontificis Potestate*, *Sextus contra Patriarcham Antiochenum Confutationum*, *Septimus Repercussionum aduersus Antiochenum* inscribitur. Nihil de *duobus* his *Libris* ultimis adversus *Johannem* Patriarcham *Antioch.* unum e Concilii *Basil.* Praesidibus directis innotuit *Quetifo* T. I. p. 794. ubi tantum *Libros* V. censet. Itaque fortasse desunt in *Mss. Vaticano* et altero *Card. Bisciae*, quae duo solum *Quetifus* excitat. Quod vero ad totum Opus pertineant, Autor ipse in *Praef.* L. VI. declarat: *Adversus hunc* (Johannem) *igitur sextus hic atque septimus agitur Liber. Johannem* hunc acrem Potestatis Conciliorum supra Papam propugnatorem fuisse ex *Actis Basil.* et *Cod.* nostro CCCLXVII. liquet, quin ad illum referenda videtur *Inquisitio de Potestate Papae*, quae in *Martenii Vett. Scriptt.* T. VIII. p. 826. legitur. Non igitur mirum, impugnari illum a *Leone* nostro, cujus c. 14. L. V. inscribitur: *Quod Romanus Pontifex sit super omnia Concilia Vniversalia*, et iterum c. 6. L. VI. *Quod summus Pontifex sit supra Concilium.* Praemisit ille Libris singulis *Praefationem* ad *Eugenium*, quarum, quae prima est, ita orditur: *Rerum diuinarum omnes admodum tractatores, qui ad ecclesiasticam religionis disciplinam elaborarunt, ut aliquid suorum studiorum exponerent, id speciali cura mihi egisse visi sunt, ut aut utiles saluberrimasque institutiones, aut pernecessariam rerum gestarum seriem stilo texerent. Sane ad utramque se partem ex utroque linguarum genere Scriptores plurimi contulerunt* &c. Vides dictionem hominis a monastica diversam; sed neque eruditio, nec dicendorum ordo defuit, quamvis caussa illius nostro demum aevo procubuerit. Scripsit ille anno 1437. Ita enim habes L. III. c. ult. *At uero sumptibus et labore praescripti D. Eugenii et Imperator et Patriarca Graecorum cum multis illarum partium Archiepiscopis et Episcopis jam nunc his diebus, quibus ista conscripsimus, ad generale Concilium Ferrariae deueniunt*, cujus Concilii Sessio prima celebrata est anno 1438. 10. *Januarii.*

DCCCCLXVI.

Codex chartaceus lat. germ. 210
Sec. XVI. Folior. 228. f. continet Farraginem Scriptorum olim ad *Johannem Fabrum* Ep. *Viennensem* pertinentium. Praecedunt: *Ecclesiasticarum Rerum Excerpta de Duobus Conciliorum Tomis nuper* (anno 1538. a Petro Crabbio O. M. editis) *Coloniae Agrippinae impressis. Calculo laborans elaborabat et collegit Gandaui octiduo Joannes Fabri Episcopus Viennensis Anno M. D. XXXX. Mense Aprili.* Indicis loco in hos II.

To-